

Ad
ORATIONEM,
^{De}
JUDICIO AEQVI-
TATIS IN DISSEN-
SU CIRCA SACRA,
Inchoandis cum B. D. Lectionibus
Theologicis
præmittendam
d. 24. April. M DCCV.
invitat
MICHAEL FÖRTSCH,
THEOL. D.
& Prof. Prim. Senior & Decanus h. t. Facultatis suæ.

^f E N Æ,
LITERIS WERTHERIANIS.

Coll. diss. A
168, 4

Coll. diss. A 168(4)

~~168(4)~~
D. 24. April. M DCCV.



Mὴν κείνετε κατ' ὄψιν ἀλλὰ τὸν δικαιαστὸν
 κείσων κείνατε. Ne iudicetis secundum aspe-
 ctum, sed iudicium, quod iustum, est iudi-
 cate. Monitum est Christi iustissimi Ju-
 dicis *Job. VII, 24.* partim in iustæ defen-
 sionis adversus hostes subsidium, partim
 etiam in communes usus, regulamque æquitatis & Justi-
 tiæ proditum: eò sollicitius meditandum, quò difficilius
 videtur *carni*, obsequia præstare. Magni, sanè, laboris est,
 vitium quod *Dominus hoc loco notavit*, evadere in præsen-
 ti seculo, nimirum non personaliter iudicare, sed rectum
iudicium retinere. ut scribit *Augustinus Tractatu XXX. in Joh.* Interpres hoc loco non ad literas & apices, sed sen-
 sum ipsamque rem respiciens. Nam quod in fontibus
 extat: κατ' ὄψιν secundum aspectum, speciem, faciem, id
 eò utique spectat, ne vero & interiori Funda-
 mento recti judicii insuper habito favorem erga personas
 vel odium quis substituat. Sanaverat Christus langui-
 dum in die Sabbathi, quo verò beneficio Sabbathum
 ipsum violasse, criminabantur Judæi; at Ille rudem blas-
 phemiam efficaci argumento retudit, à *circumcisionis* ope-
 re desumpto. Nam si hoc, quo particula tantum cutis
 abscindebatur, non profanata fuit sancta dies Domini;
 multò minus illo, quo totus homo fuit sanatus. Rursus:

si Mo-



si Mosen, (ita Cyrillus Alexandrinus nervum exhibet) qui propter circumcisionem à patribus traditam legem de Sabbatho dissolvit, nequaquam prævaricatorem esse putatis; Filium quoque unigenitum, qui quæ pater facere solet, facit, ab omni absolvite criminē: Si verò solum Filium condemnatis, Mosen, quamvis simile fecerit, absolventes, nonne secundum faciem, lege spreta, iniquè iudicatis? quippe in lege speciatim vetitum erat, ne personam in iudiciis respicerent. Deut. I, 17. & XVI, 19. לא י תְּפִירו פָנֵיכֶם q. d. ne agnoscatis id quod ob oculos est, & externa duntaxat specie se ingerit, pro fundamento iudicii vestri, sed interiora, rem ipsam, uti est, expendite, indeque sententiam vestram expromite, tum in iudiciis publicis, tum privatis. Κείσων δικαίαν vocat Salvator noster, iustitiæ normam commendans, ne vitium affectūs abundet, vel superficiaria cogitatio officii sanctitudinem fœdet, externa specie nixa, quæ interiora, certiora & solidiora sectari debebat. Inde Chrysostomus adcurata hoc loco brevitate commentatur: Non propterea quod Moses apud vos maioris est authoritatis, feratis sententiam, ἀλλ' απὸ τῆς τῶν πραγμάτων Φύσεως· hoc enim est demum iuste indicare. Ipsa nimirum, rerum, de quibus agitur, natura & conditio solidum suppeditat recti, veri & iusti iudicii fundamentum, non illud, quod est κατ' ὄψιν, cuius ista ponit exempla luctulentus pariter & adcuratus Scripturarum commentator Joannes Brentius; si quis in civili iudicio consideret in accusatore non causam ipsam, & omnes circumstantias eius, sed vel externam tantum facti absurditatem, qualis sese prima facie in reo offert: vel accusatoris eloquentiam, ac pronunciet ex eo pro accusatore adversus reum. Aut, si quis ex scriptura sentiat, Deum externos pedes habere, quod

scriptura dicat, Deum descendisse de cœlo, & vidisse ædificium turris Babylonicae: aut si quis de proximo suo iudicet secundum unius aut alterius invidi maledicentiam. Adeo plura: veluti si quis in omni causa & controversia τὸ πνῆον legis, non ultimam legis voluntatem respiciat, ubi illud quidem in oculos & sensus cadit, hoc verò à legislatore intenditur: è circumstantiis, rei naturâ, antecedentibus & consequentibus collendum. Absit ergo cœcus favor in iudicando, qui falsa, sana & inania ad clientis, vel amici causam provehendam arripit: odium & invidia, quæ speciem meram, ancipites rumores in fulcimenta pravi iudicij rapiunt. Absit ignorantia, quæ temerariè provolat ad iudicia perversa: imprudentia, quæ circumstantias rei, iustum finem, Dei gloriam proximi- que salutem non ponderat. Cedat avaritia, quæ mercenarios alit, non æquos iudices; metus, qui ab officii decore absterrere solet. Hæc enim potissimum sunt iusti, recti & veri iudicij impedimenta. Conf. Nicolai Hemmingii utiles hoc loco observationes. Adsit igitur ex adverso voluntas prompta & expedita suum cuique tribuendi, quod iustitiæ munus est: Veracitas & candor, quæ mendacia, artes, speciem, prætextuum pigmenta respuit: industria & sagacitas, quæis interiora penetrantur, secreta recluduntur, ipsaque rerum & personarum natura & conditio non ὅψis tantum dignoscitur. Superet pietas, cuius instinctu mens religiosa Numinis maiestatem constanter præ oculis habet, *Charitas*, quæ patiens est, benigna, non invida, non procax, quæque non inflatur: non fastidiosa, nec querens sua: non irritatur, nec malum cogitat, nec de eo quod iniquum est & iustitiæ adversum, gaudet, sed veritatis fructibus recreatur, non suspi-

6AX

eaux , sed suffert , credit , sperat , sustinet . i. Cor . XIII , 4. & seqq . Accedat denique prudentia , quæ circumstantias è cù-
 bilibus suis evolvit , præsentia intuetur , futura prospicit ,
 præterita repetit , denique cuncta ad veram utilitatem di-
 rigit : veram , inquam , non quæ præsenti specie intume-
 scit , sed & in futurum se dispensat , nec quæ ex iniquo
 vim suam trahit , quomodo calliditas potius esset , quam
 prudentia . Sic intra rectos limites decurret iudicium , usus-
 que regulæ Christi se diffundet in omne vitæ genus sta-
 tumque inque negocia cuncta , publica & privata , *civilia*
 & *Ecclesiastica* . Quemadmodum verò iniustissimæ in Jesum
 eiusq ; doctrinam , censuræ indeq ; secutæ persecutiones ac-
 celerabant exitium & Judæis prænuncii extantiores erant
 secuturæ fatalis plagæ : ita profectò contemtus divinæ re-
 gulæ de pio , æquo , iusto iudicio super Christi ministris
 eorumque doctrina & officio ; unde lites , æmulationes
 invidia & scandala oriuntur summa , ut experientia testa-
 tur , character adhuc est miserrimi statûs Ecclesiæ : neque illi
 facile quicquam magis nocuit , quàm *iniqua ista iudicia* ,
 vel affectu impotenti protrusa , vel ab ignorantia exclusa ,
 vel impietate denique præcipitata . Non loquor de publicis
 illis præcisè , ubi civiles discutiuntur causæ , sed illis , quæ
 privati produnt de aliis : Doctores de Doctoribus , eorum-
 que maximè doctrinis , donis , virtutibus & vitiis . *Euse-
 bius lib . VIII . Hist . Eccles . cap . I . & II .* repetit pristina Ec-
 clesiæ halcyonia , novasque in illa turbas & bella in-
 testina gravissima iræ divinæ incentiva . Ibi Imperatorum
 laudat benignitatem erga nostrates , singularem erga
 christianam religionem affectum , libertatem christia-
 norum in publicis religionis exercitiis : Amorem quo
 Christianos complectebantur domini sibi subiectos ; ho-

norem, cultum ac benevolentiam, ab omnibus tam privatis, quam provinciarum Rectoribus delatam singulis Ecclesiarum Antistitibus: ingentem conversorum ad fidem numerum, illustres populorum conventus in ædibus sacris: quo factum, ut priscis ædificiis non contenti, spatiofas in singulis urbibus ab ipsis fundamentis extruerent Ecclesias. Hic verò, ubi ad tristem Ecclesiæ statum transgreditur, inter causas illius memorat, quod alter alteri invideret, & se mutuo convitiis infectarentur, cum bella gererentur intestina, verbis tanquam armis quibusdam hastisque se mutuò vulnerantes, quòd Antistites adversus Antistites iurgia ac tumultus agitarent. Atque tum ait, divina ultio sensim ac moderatè in nos cœpit animadvertere; tūm nempe, cum Ecclesiæ Doctores atque Episcopi *invidia*, *obtrectationibus* atque inquis iudiciis se mutuò infestarent & persequerentur, cum pastores spreta religionis regulâ, mutuis inter se contentionibus decertarent, nihil aliud quàm iurgia, minas æmulationem, odia ac mutuas inimicitias spirantes. Neque tamen iniquus statim iudex est vel regulæ Christi adversatur, qui pium in iudicando zelum prodit, si causa ita postulet: veluti si noxios quis spargat errores, scanda la præbeat Ecclesiæ vita & doctrina. Nam hīc sub prætextu prudentiæ & charitatis silere, falsis doctoribus moderationis specie adulari, errores excusare, novitatum periculorum cursum non impedire, gravia momenta, doctrinam concernentia nugas & verborum concertationes proclaimare, libertatem sentiendi laudare, pacem iactare & similia, esset prodere causam divinam, lupis oves relinquere, privata publicis, temporalia æternis anteponere. Cum Arius hæresin suam divulgaret, *Consilium* verò Ni-

cenum

cenum voce ὄμοσίς fraudes & effugia elideret , inter varias tūm exortas sententias, multi erant, qui nugas esse putabant τρέπεσθαι περὶ τὰς τοιαῦτας ἔριδας τῶν λόγων, ut scribit Sozomenus. Hist. Eccles. III, 12. Aulis. haud inusitatum est τὸ ἐπέχεν in summis Doctrinæ capitibus, & sententiam, iudicium vel inquisitionem etiam rerum divinarum declinare, quemadmodum Gallion ille fecit, Achaiæ Proconsul, Judæis oblocutus: *si questio est de sermone, nominibus ac lege vestrate, vos ipsi videritis, iudex enim ego horum nolo esse.* Act. XVIII, 15. Complures in iis causis, quibus non debebant, Gamalielis captant consilium, & per κανονικὰ quandam dicunt: *sinite illos: si ex hominibus consilium est, aut opus hoc; dissolvetur, si ex Deo; non potestis dissolvere.* Act. V, 39. Nam si Gamaliel præter prudentiam & doctrinam etiam pietatis dono fuisset prædictus, non dubitasset in consilio, utrum opus illud Apostolorum ex hominibus, an ex Deo originem duceret, nec mentione seditionum Theudæ & Judæ Galilei illud quasi seditionum fugillasset, sed ingenuè fuisset confessus, id quod res est, videlicet, opus Apostolorum esse divinum negotium, nec ullum hominem, quamvis potentem suis viribus aut persecutionibus ipsum impedire aut dissolvere posse: denique omnes in Senatu præsentes exhortatus fuisset, ut prædicationi Apostolorum fidem adhiberent, & Jesum Christum verum illum Messiam amplecterentur, quò & spei salutem consequerentur: ut graviter & ex vero scribit Brentius. Neque enim vel iudicium declinandum vel suspendendum in sacris, ubi periculum animæ in mora est. Intendendæ vires: indaganda veritas, nec deserenda causa Dei, sed id quod rectum, verum, iustum est, iudicandum: Episcopo præser-tim & fideli animarum custodi. Nec persona respicienda

da secundum exteriora quædam, nec cœcus amor pieta-
ti in Deum præiudicare debet. Triumphet veritas, ut Dei
Maiestas in veneratione maneat: flagret charitas, ne offi-
cium erga proximum & erga fratrem deficiat: Vigilet
prudentia, ut iustus scopus obtineatur. Rejiciendi erro-
res & confutandi ex scripturis, sed quantum ad erran-
tes, cum piis Confessoribus inter *simplices* & *pertinaces* ac
pervicaces doctores ac blasphemos, distinguendum: tolerandi
illi, instruendi, & quantum fieri potest adducendi: his verò
os obturandum, coercenda imprudentia, audacia. Sunt
erga hostes quoque veritatis officia exercenda, sed alia
adversus fratres à nobis dissentientes, ubi fundamentum
salutis & doctrinæ in salvo manet, in modo verò propo-
nendi, & annatis quæstionibus ac similibus dissensus est.
De quo autem uberioris in ipsa oratione differemus, ea fini,
ut singulis constet luculentius, quomodo & veritatis &
charitatis destinatione gravissimum munus à SERENIS-
SIMIS ACADEMIÆ NUTRITORIBUS Nobis deman-
datum aggrediamur, inde & pia vota nuncupabimus, cui
proposito ut MAGNIFICUS ACADEMIÆ PRO-RE-
CTOR, Illustrissimi Comites, Venerandi Academiæ Pro-
ceres, omnesque literarum sacrarum fautores & cultores
suffragentur, & de *iudicio æquitatis* in dissensu circa sa-
cra differentem gratiosè ac benevolè audiant, etiam atq;
etiam rogo atque obsecro. Perscriptum
d. 19. April. A. MDCCV,

ORATIO
JUDICIO
ÆQUITATIS
IN DISSENSU
CIRCA SACRA

habita

à

MICHAELE FÖRTSCHIO,

SS. TH. D.

cum

Cathedræ Academicæ Theologicæ Tübingensi
valediceret,

&

Vocatus Professor Th. Primarius

Jenensem primùm concenderet.

d. XXIV. April. A. MDCCV.

II. 61

B

BENE-

EST 30
OPOTI DUT
CATIVOGA
MIDERDAN
AOOGAOGIO

QING TAH QIA ALHOM

C. 22

100.


Bogorid. 1925. 11. 15. 1925.

QING TAH QIA ALHOM

100.

BESICISE

BENEVOLE LECTOR.



Oeoperam de Judicio Æquitatis in dissensu circa Sacra, Tübingensibus Muis valedicens, pauca quædam, quæ in aliquot generales classes conjecteram, dicere, potissima ferè Orationis parte precibus & votis expleta: unde cum & novæ Professionis Auspicium, oratione consecrandum esset, argumentum nonnihil amplius, extemporali tamen opera, & quantum breve spatum temporis permittebat, deduxi: rescissis illis, quæ in utraque oratione ad officii formulas solennes pertinere videbantur. Vale B. L. & instituto fave.



Verbi divini Ministros, Academiarum præsertim Doctores Theologos maximè sollicitos esse debere, quemadmodum ad præscriptum Domini in discentium profectus vel inchoandos, vel amplificandos Sacra menta Fidei Morumque Doctrinam explicit, confirmant, & aduersus Veritatis hostes vindicent, nemo dubitare potest: Sicut & illud in liquido positum est, Fideles in Domo Dei Oeconomos eò simul allaborare jure meritoque, ut dissidia in Ecclesia exorta, & proh dolor, ad terrorem fere aucta, tollantur, minuantur, vel etiam emoliantur, aut saltim, ubi tempus aut natura materiæ id non patitur, durante dissensi, communionis & Charitatis vincula inter fratres religiosè conserventur, & litium ac æmulationum ansæ, quantum fieri potest, præcidantur. Nec metuendæ hic querelæ aut rigorosiores censuræ, quas apud Severiores subinde reperias, veluti, quod Syncretismo via paretur, veritati insidiæ struantur, & orthodoxis pericula, occulta denique errorum propagatio unice intendatur: quod utique tum maximè fieri largimur, si quis gravia Fidei dogmata & salutis fundamenta extenuare, inque problematum censem referre ausus fuerit: cui plerumque vanus accedit prætextus, nihil præscripsisse Symbola aut Confessiones publi-

publicas, & quicquid de his sit, libertatem sentiendi meritò retineri, nec vincula illa humanis pactis constituta in tyrannidem abire debere. Supereft enim inter ista Syncretismi præcipitia, via, licet valdè angusta, qua studium Concordiæ & unionis piè foveri queat, & absque culpa commendari. Ipsi certè Confessores nostri, summi in Germania Principes atque Status Evangelici tum in præfatione ad Librum Concordiæ tum speciatim in ea ad Aug. Confess. ingenti zelo pacis hujus divinæ vota ac desideria profitentur. *Nos, ajunt, testatum clarè relin-
quimus, hic nihil Nos, quod ad Christianam Concordiam,
qua cum Deo & bona Conscientia fieri possit, conciliandam
conducere queat, ullo modo detrectare.* Alibi offendicula, certamina & diuturnas distractiones in mentem revocant: qua fini Conciliationem controversiarum è verbo Dei extructam extare velint. Quid verò nunc anxii, non de sua duntaxat, sed de universa posteritatis salute Animi cogitarent, si præsentia tempora, fœcundissimam discordanterum segetem viderint: ubi non facile una Academia cum altera ita convenit, ut dum omnes Lutheri disciplinam laudant, nec communi Concordiæ adversari se, videri volunt, non tamen una pars alterius opinione, damnandi subinde erroris, schismatis, hæreseos vel Syncretismi nota gravare conetur. Hæc tanta, tamque diu radicata dissidia, quantum rebus Ecclesiæ nostræ damnum attulerint, diei non potest: non enim Adversarii duntaxat illa in sua commoda, regnique tenebrarum sustentamenta transferre callidè nôrunt, sed & intra Ecclesiæ limites dubia de Fidei & Religionis certitudine ac divinitate per illa sunt excitata: invidia, odium & contemptus adversus Doctores in publi-

cum passim eruperunt : pertæsa facta est hinc inde studiosa Juventus Disciplinæ sacræ, & vel desperatione solidi profectūs, vel gloriolâ imaginariæ eruditionis obcœcata inter Præceptorum turbas, sincerum discendi studium abjecit. Nutant subinde Principes, & vel separationem minantur ab Ecclesia, vel ex adverso Syncretismum moliuntur. Insultant passim Adversarii, suasque partes è damnis nostris stabiliunt. Premunt ab una parte Epicurei, imò Athei, ab altera Libertini & Enthusiaſtæ : Sic cuncta in deterius ruere cœperunt, lites ex litibus tractæ : antiquæ plerumque partium mortibus quievere: vel authoritate Magistratus in suspenso relictæ aut sopitæ : novæ in dies amplificantur. Laudatur orthodoxia ab omnibus, & tamen singuli singulorum persent heterodoxiam. Res ad paucos quasi rediit. Hi restringunt dogmatum numerum, illi extendunt, nec terminos propemodum novit utraque pars, ubi subsistat. Verendum, ne, si sententia singulorum sejunctim exploretur, de pondere & momento doctrinarum, per potiora vota, ut ita loquar, unio illa adeò afflcta adhuc magis divellatur. Quid Consilii inter hæc Vulnera Domus Jacob, quæ in vulgus vel ignorantur, vel æquo Judicio non expenduntur vel denique metu danni, utpote jaeturæ famæ, reticentur. Fuere pii Theologi, qui statuum Emendationem magno Zelo quæsivere, quos inter post B. Lutherum, Gerhardus, Meisnerus, Dannhauerus, Saubertus, Glassius, Quistorpius, Reiserus, Spenerus, Hartmannus, & adhuc dum in vivis meritissimus de Ecclesia Vejelius : sed facile animadverterunt nonnulli, quam necessarium sit, ut concordia rupta prius restituatur, quam fructus meditatae Reformationis morum sperari queat.

queat. Nec defunt consilia & medelæ tantis vulneribus ab orthodoxis Theologis passim agnitæ & expositæ, si modò illi, quorum Authoritate res geri debebat, & expediri, optimis conatibus puppetias ferrent. Interea Nos omnes cò conniti decet, ne salubribus consiliis, sufflaminandis ullo modo occasionem demus, nec mala intempestivo Zelo augeamus, sed ita disciplinam instituamus nostram, ut quam proximè accedat cordatorum Theologorum desideriis & consiliis: quò cum maxime spectet **ÆQVVM IN DISSENSV CIRCA SACRA JV-DICIVM**, haud existimo, grave fore vobis, si quædam de utilissimo hoc argumento differere aggrediar: ita tamen ut temporis ratio habeatur, unde non nisi *specimen* aliquod circa præcipua, id est ea, quæ ad Doctrinam & controversias, pertinent, exhibemus, sine ullo præjudicio, salvis melioribus sententiis.

Non erat congruum summæ Conditoris Sapientiæ, ut præcipua vis mentis & facultas, absque norma & certo limite veluti vagæ & in lubrico posita se exereret, unde luce rerum divinarum & humanarum intellectus instrui debebat, eo fine, ne à veri justique mensura judicium aberraret. Ubi enim semel error in consuetudinem valuit, non facile receptui locus est, dumque cœco quasi impetu mens ruit in Sententiam extra Termini Sacra: nec Religio amplius erga Numen, nec officium erga homines subsistit, quomodo simul omnis humanæ vitæ ratio atque decus tollitur. Quamobrem ipso Naturæ Rerum Authore, ita meritò constitutum est, ut judicando & censendo suum cuique tribnatur, ne ulla pars officii Christiani in tanto humanæ Societatis præsidio ac momento, adeoque nec **Æquitas** deficiat: **Æquitas** imprimis

mis, quæ rigorem in censendo dissensu circa Sacra, in justos terminos reducit, quomodo nec errori veritatis species conciliatur nec erranti perniciosa securitas promittitur, nec denique morosi affectus æstu dissentientes injuria gravantur, gloria verò Dei & Salus proximi stabiliuntur ac promoventur: dum æqua lance ponderatur dissensus, neque major minorve declaratur, ac re ipsa est, vel consequentiarum ligamentis obscurioribus odiosus redditur. Unde quò magis h̄ic à recto existimandi tramite, quis deflectit, eò major iniquitatis culpa in eum redundat, ex illo quoque capite, quod religiosum Concordiæ & unionis vinculum vel nimia judicii severitate vel temeraria subtilitate rumpatur. Perspicaci hic opus est ingenio, eruditione solida, sed prudentia simul, æquitate & charitate temperata. Quærenda primum Regni Christi incrementa, & membrorum ejus inter se communio; meditanda destructio tyrrandis Satanæ: videndum inde, quid verum sit atque falsum, materiæ indoles penetranda: Argumentorum nervi ex utraque parte pro dignitate, non affectionis pretio æstimandi: certitudinis gradus quasi numerandi, ne quod probabile duntaxat & in opinione positum est, ut robur demonstrationis immotum interpreteris. Cogitandum, si rationes & momenta sint in promptu, quid prudenti silentio tolerari queat, quid non, sin exprimenda sententia: qua via, quove modo id fiat, ut ad justum scopum perveniantur, neque vel pietati erga Deum, vel officio erga Ecclesiam & proximum detrahatur, ubi tamen semper cum de veritate lis permanet, & in futurum se protrahit, charitatis interim & communionis partes in præsens se dispensare par est.

Sunt

Sunt Sacra in primis Dogmata, & Regulae Morum, quibus ipsa Religionis Christianae fundamenta continentur. In his quidem dissentire & in partes divelli adeo nefas est, ut ne quidem Christiani, ne dum Doctoris Nomen sustinere queat, qui eorum quicquam negare vel oppugnare audeat. Sed hic æquus Judex de eo maximè sollicitus erit, ut ipsum caput & nervum Doctrinæ à quilibuscunque partibus, id quod principale est & fundamentale à minus principali distinguat: propositiones, quæ vel Fundamentum Fidei constituunt, vel arctiori cum eo, imò induculo nexu cohærent, ab iis, quæ non æquo conjunctionis gradu vel necessitate se produnt. Expendet probè discrimen dogmatis & Explicationis eò spectantis, quæ diversa subinde ab alia esse potest, quoad terminos modumque proponendi, ut tamen utraque in Fundamento & capite coalescant & amicè conspirent; quemadmodum diversæ ad eundem terminum viæ concurrunt, diversa media ad eundem scopum tendunt. Veritas quidem una est & individua, at modus eam indagandi vel dilucidandi non idem, si cui ἀξιβείας & dexteritatis nomen tribuat Æquitas: alteri propterea nequaquam dicam hæreseos impingeat, si modò Fidei sacra non temeraverit, vel sublesti consilii molimine vel ignorantia adscito vitio.

In dissensu præterea ipso spectabit, num directè primas illas Veritatis & salutis lineas convellat, an ex obliquo duntaxat, & ex consequentia: quam firma illa sit ac solida, quamque perspicua: & num ab adversa parte agnoscatur: sin secus; mens æqui cupida, juxta id potius, quod in præsens se exerit, veritatis nempe Confessionem,

C

judi-

judicabit dissentientem, quām id, quod in futuram demum discussionem se resolvit, dissensūs nempe conditionem, ne communio & charitas, quæ perspicuis rationibus elucescunt, cedere cogantur illi, quod in ancipiti colloquum est.

Quod si capitales Fidei propositiones sententiæ divisu impetantur, & impia adeò contradictione destruatur, quod Regulâ Fidei & pietatis constitutum est; haud iniquus propterea Judex erit, qui perversam istam carnis sapientiam justo stylo designat, & errorem per se noxiū saluti, ac hæresin, juxta indolem suam declarat: neque enim sub iniquitatis censum venire potest, quod veritati congruum, ab ipsa præterea necessitate Ecclesiæ & charitate proximi profectum est, vel potius expressum. Spiritus S. anathemata denunciat illis, qui aliud Evangelium prædicant, quām quod jam annunciatum est: monet præterea, ut caveamus à falsis Doctoribus, & num ex Deo sint, exploremus: at quomodo explorabis ad fructum providentiæ, si æquum Judicium deficiat? quomodo cavebis à deceptoribus, si non nudentur specie sua, & justo judicio larva detrahatur. Vaniloquis os obturandum esse, monet Paulus, Hæreticum post unam alteramque admonitionem vitandum tanquam αὐτοκατάκριτον: denunciatur à Johanne & Thaddæo noxiæ doctrinæ condemnatio, sugerente judicium Spiritu S.: quis adversus æquitatem id factum esse dixerit? Nimirum non æquitatis terminos statim superreditur, quod zeli instinctu factum est: nam & pietatis & æquitatis & prudentiæ zelus, præceptis, Christi & Apostolorum exemplo munitus, Antiquitatis insuper consensu declaratus est.

Sed

Sed & hic Æquitas denuò provida est, ac in classes & ordines dispescit, quæ generaliori hæreseos titulo, disciplina effert, & Anathematis fulmine percellit. Sunt enim divina effata, quæ tanto necessitatis gradu constringuntur, ut fidei & Salutis participes fieri nequeant, qui eorum quicquam ignorant vel negant : quæ tamen ipsa aliquando diversi generis sunt. Exemplum B. Musæus hoc suppeditat: Misericors ac benignissimum Numen omnium Mortalium velle Salutem & desiderare, nolle autem, ut quisquam pereat, Christum pro omnibus esse mortuum, in Dogrina verè catholica & orthodoxa, extra dubium positum est: illud quoque difficultate caret, neminem modo ordinario & consueto per Scripturas sacras aliter convinci posse, Deum sui misereri velle, Christum pro se mortuum esse. Cum tamen simpliciores fideles subinde Fidei mysteria, implicitè tantum in SS. contenta & per consequentiā elicienda firmissimo comprehendant assensu absque discursu è SS. deducto ; ut: Deum in essentia unum, in personis trinum, in Christo duas esse naturas, unam verò personam: cum vim consequentiæ vel non attendant, vel non intelligent, & certum sit, Spiritus S. virtutem movendi & in consensum trahendi per verbum, æquè junctam esse conclusionibus ex illo deductis, quam sensui verbis SS. immediate significato ; sponte fluit, fieri posse hic ut simplices isti homines, non cogitando de universali signo ferantur in divinum assensum, adeoque & seposita illa universali enunciatione, Deus vult omnium misereri, credant divino assensu, idem benignissimum Numen velle & sui misereri.

Cæterum haud iniquum fuit Judicium Patrum & Conciliorum, de Ario, Macedonio Nestorio, Eutychè, Pelagio & similibus hæreticis, quando errores eorum damnârunt, & ipsos Patronos Ecclesiastica communione indignos & à salute æterna extores pronunciarunt. Non Papalis tyrannidis prolusiones hæc erant, nec affectuum protrusii fœtus. Num enim summa Salutis mysteria & præsidia, de Deo uno & trino, de Filio Dei ejusque æterna Origine ac Oeconomia, ut Veteres loqvuntur de Spiritu S. deque gratia & misericordia erga lapsos & cruciatibus æternis obnoxios mortales & similia libertati sentiendi, relinquenda fuerant? num summa Fidei Capita & pietatis opinionum monstris deturpanda? Fundamenta veri & recti cultus in argumenta petulantiae humani ingenii laxanda? Unus Deus, unus cultus à quo, qui aberrat, non verum Deum sed cerebri sui idolum colit. Neque ad lusum tantum vel altercandi materiam illa duntaxat sunt revelata, quæ tanta in verbo divino luce radiant, & qui dissensum hîc ab ea quam profitetur Ecclesia, Sententia, eructare non erubescit, perinde facit suo modo, atque prima Naturæ principia inficietur, nam quemadmodum hæc menti sunt impressa, ut non possint non illa percipere, & conclusiones congruas inde elicere iisque assentiri, qui tantum non obduruerunt; ita ista tanta perspicuitate in SS. sunt exarata, ut qui sensu & mentis usu non sunt destituti, si modò malitiosè non obliuictati fuerint Spiritui S. qui pulsat, illuminat & obsignat, ad agnitionem veritatis certò perveniant. Neque est cur Adversarii tam luculentæ Veritatis innocentes & bona Fidei possessores præsumantur ac deprædicentur, qui divinæ lucis radiis se collusari

strari non patiuntur, dum Amore sui velut obducto ve-
lamine, vel disciplinæ vicio calloque hypothesium ac præ-
judiciorum obcoœcati sunt: à quibus si liberare se neque-
unt, ut Spiritus S. ductum sequantur, non tamen Deo im-
putari debet, quod apud illos mala educatione, erroris
consuetudine & similibus convaluit: nec contra Regu-
lam veritatis æternæ Salutis participes pronunciandi, qui
justo Dei judicio corruptæ rationis ludibriis relicti sunt,
non attendentes divinis effatis, quicquid exterius præten-
dant. In promptu enim sunt media & principia,
immutabili quasi lege & perpetuo usu firmata, quorum
beneficio in iis quæ in tanta, quæ diximus, luce sunt posi-
ta, conceptum divinæ menti conformem indagare quis-
que potest, & allucente Sp. Sancto assequi. Unde pesti-
lentem rectè pronunciarunt *Reformati* illum *Remon-
strantium* errorem: Neminem obligari ad verum sensum
verbi divini sequendum contra conscientiam suam,
licet erroneam: quod quid aliud est, quam hæresibus qui-
busvis aperire Januam, Religionem vero ac Fidem in exi-
lium pellere. Executiendus potius error, conscientia ver-
bo Dei submittenda: Facultates hominis vel non exultæ,
vel pravo usu detritæ & corruptæ nunquam mensuram da-
re possunt certitudini sensus divini, aut securitati coram
Judicio Dei. Pone enim, si lubet, insuperabiles in hac
sententia orthodoxa simplicitati restare difficultates, &
severam nimis videri Sententiam divinam: condemnan-
tem eos, qui fecerunt quantum potuere: tamen tutius
est, adstringendo mentem Regulæ divinæ, judicia Numinis
pia submissione mirari, quam invitâ illâ adulari huma-
nis opinionibus, & securitatem polliceri conscientiæ in

spem perniciosa*m* indulgentiæ, quicquid mens ebria deli-
raverit.

Itaque nec iniquum est Judicium Ecclesiæ nostræ Doctorum & Confessorum nostrorum occupatum in dissensu Hæresium & Sectarum, quando ad imitationem piæ Antiquitatis illum doctrinæ Salutari & Fundamento adversum judicarunt, & post diligentem discussiōnem ad piam concordiam in veritate se adstrinxere, ac dissentientium errores damnarunt: neque enim circa levia ille duntaxat versatur, sed magna & fundamen-talia. Nec malè iidem Pii in libro Concordiæ pro-fitentur, se ne latum quidem ungvem vel à rebus ipsis vel à phrasibus discessuros: quamquam Æquitas Theo-logica & h̄ic interponat discrimen inter ea, quæ ipsam doctrinæ formam & substantiam concernunt, & quæ tan-tum circumstantias aliquas attingunt, veluti ordinem nu-merum, argumentorum nervum, alio & alio modo exhibi-tum: ut sub exemplo loquar: Formula Concordiæ in do-ctrina de Communicatione Idiomatum, quam vocant Theologi, secundo loco ponit, id, quod alii tertio: Ea-dem ad primam classem refert illas propositiones, qui-bus idioma divinæ naturæ de Christo homine prædica-tur: at aliter procedunt alii Theologi, quos nemo propterea à Doctrina F. C. recessisse arguet.

Porrò quod pietatis & sanctitatis regulas attinet, dissensus circa illas non potest non pro noxio declarari ab æquo iudicio: *Sine Sanctimonia enim nemo videbit Dominum. Hebr. XII. 14.* Si modò dissensus sit fundamentalis, qualis pri-dem erupit in horrendis decretis Simonis Magi & Gnostico-rum; ubi Irenæo, Theodoreto, Epiphanio aliisque fidem ad-hibemus

hibemus, juxta quos Gnostici spurcissimis actionibus
justi honestique rationem affinxere, nec operationes re-
apse justas admiserunt: hinc speciatim vaga libido, cædes
infantum cæforumque viscerationes in genere bonorum
censebantur. Aliter planè judicat æquitas de dissensu
circa quæstiones subortas, quæ vel circumstantias exer-
citii pietatis, veluti tempus & similes concernunt, quem-
admodum de ratione morali septimi diei in circulo heb-
domadario inter Theologos disputatum est: vel consilia
promovendæ pietatis & removendorum impedimento-
rum spectant, quò pertinent quæstiones de Collegiis Pie-
tatis instituendis pridem disputatæ.

Jam quod concernit alia dissensus momenta inter no-
strates: *imprimis* occurrunt difficultates Scripturæ S. sub-
inde inextricabiles propemodum: quamquam complu-
res progressu temporis feliciter evolutæ sint: quæ veterum
studio expediri non poterant. Hic nonnulli non rarò corru-
ptionem librariorum incuria emergentem vel suspicantur,
vel statuunt, *Lutherus ipse*, & qui eum sequuntur alii Docto-
res. Reliqui tamen, profundius se rem expendere putantes,
existimarunt: perfectioni & puritati Scripturæ sacræ tanta
cura adversus Pontificios & male sanos Criticos assertæ mul-
tum derogari: Argumenta enim quibus illam tuentur,
nihil tale admittere: cœlum & terram prius transire de-
bere, quam iota Legis aut unus apex pereat: quod & divi-
næ providentiæ est convenientius, utpote quæ in per-
petuam veritatis salutiferæ normam hos libros destinavit
neque valida videbatur exceptio: sufficere integratem
ac puritatem in rebus doctrinæ & morum, licet in levio-
ribus quibusdam irrepsisse menda, per omnes codices sta-
tuatur;

tuatur: nam ipsæ illæ doctrinæ & morum partes ac regulæ, levioribus etiam mixtæ sunt: quæ si divino permisso vel incuria vel temeritate mutata fuere & corrupta; illa sanè quæ his inserta sunt, ancipiti loco ponuntur; neque norma sine ullo defectu forer, quod verò divinitatis characteri adversatur. Nemo tamen propterea vel Lutherum, vel alios post ipsum erroris Pontificii arguet: cum sincera mens eorum satis sit nota, nec enim vel temerarii sunt in Scripturam sacram, ut Pontificii, nec vulgatam præferre præsumunt, nec Capelli improbant audaciam: nec semper sententiam suam tanquam certam ponunt: Sed difficultatibus constricti, ubi eluctari nequeunt, id expendunt: num Scripturæ sacræ ita puræ sint ac perfectæ, ut nequidem in minimis ac levissimis aliquid corruptelæ subrepere potuerit? & num tutius sit: aliquas circà minutiora in scripturis largiri corruptelas, quam conari, omnes in universum nodos evolvere & explicare? hic, quemadmodum ex una parte nervus dictorum, quæ de puritate & integritate SS. testantur, & normæ divinæ perfectæ necessitas pressius consideratur; ita ex altera difficultatum indeoles solicitius & eò expenditur, ne quidvis ad quælibet respondendi conatu Scripturæ orbi potius prostituuantur, & dum lux quæritur tenebris, ludibrio exponatur sensus contortis interpretationibus exterebratus. Felicites tamen superatas videoas difficultates gravissimas passim apud Theologos nostros. conf. Waltherus, Glassius, Calovius, in Crit. Sacr. Seb. Schmidius & alii.

Jam

In ipsa præterea Scripturæ Sacrae Interpretatione, multum variant Doctores: Fidei unitate salva manente & inconcussa Doctrinâ. Si porrò testimonia & Fundamenta respiciamus; non rarò dissensus est, vel in selectu argumentorum, vel in nervo argumentandi. Haud repetemus antiquas lites, sed id tantum monere fas erit, hoc tempore, ubi victoria & Triumphus I. C. in resurrectione adhuc apud Nos solennius prædicatur & laudatur: cum hac Descensum Christi ad inferos in Symbolo Apostolico ita conjunctum esse, ut facile pateat: Sepulturam & Descentum hunc tanquam diversos Articulos distingui, unde in Declaratione solida Confessores pii hanc explicacionem de ea subjiciunt: simpliciter credimus, quod tota Persona, Deus & homo ad inferos descenderit, & diabolo omnem vim & potentiam eripuerit: quomodo verò id effecerit, non est, ut argutis & sublimibus rationibus scrutemur. Ita illi. Sed quod Fundamenta attinet, de iis nihil subjicit formula Concordiæ, at Theologi in eorum indagatione planè dissentunt. Nonnulli enim locum Petrinum priore epistola cap. III. v. 18. seq. ceu principale Fundamentum adducunt, utpote quo dicatur; Christum vivificatum Spiritu, in illo abiisse, & spiritibus, qui erant in carcere, prædicasse. Alii verò ex adverso eum planè obscurum & difficilem judicant, undeque verus & realis Desensus Christi in infernum haud demonstrari queat. Substituunt ergò alia loca, veluti Psalmum sexagesimum octavum vers. 19. *ascendisti in altum, captivam duxisti captivitatem, addito altero ad Ephesios: IV, 9. Hoc quod ascendit, quid est, nisi quod quod etiam descendit prius in inferiores partes terræ.* Alii sola confessione desensus ad inferos contenti, ad exemplum F. Concordiæ, de ipsa Confirmatione

D

haud

haud cogitant. Non concernit dissensus partem doctrinæ,
 talem, sine cuius notitia salutis æternæ particeps quis fieri
 nequeat, nam qui credit: Christum propter peccata no-
 stra traditum & propter Justificationem nostram resusci-
 tatum, etsi explicitè descensum ad inferos non concipiat,
 fundamentum tamen tenet. Sed nec in ipsa doctrinæ hu-
 jus substantia dissentunt Doctores. Nam quod argumen-
 torum diversitatem attinet: ea non ipsi nocet causæ:
 possunt duabus aut pluribus viis ad eundem scopum ten-
 dere viatores, licet unus præ altero expeditiori itinere, si
 modo res ipsa obtineatur: reliquum quod est dissensus,
 non nisi in quæstionem exegeticam recurrit: num re-
 stius ex hoc an altero dicto demonstretur Articuli veri-
 tas? neque valeret tūm exceptio: si unius partis Funda-
 menta ab altera declarantur invalida; ipsa veritas desti-
 tuta fulcris corruet: nam utraque dissentientium pars
 ita tamen retinet ac tuetur veritatis punctum, ut, licet alte-
 rijs imputatione, non tamen propria opinione destitua-
 tur robore, ut veritatem deserat. Sed hic nervi inten-
 dendī, studiumque adhibendum, ut selectus testimo-
 niorum instituatur, ne veritas in dubio fluctuet: insti-
 tuenda igitur adcurata testimoniorum comparatio, &
 quod obscurius est, removeatur, ut id quod perspicue
 deductum vel sponte sua fluit, ad omnium, qui præju-
 diciis non obcœcati sunt, captum, retineatur & com-
 muni suffragio adprobetur. Quod si nondum factum
 est, tantisper permittat pars alteri rationes; donec &
 ipsa lucem pro tenebris, certa pro dubiis exosculetur.
 Facilis autem in multis esset decisio ad unanimem con-
 sensum profutura, si modò *Φιλαντία* multos non fasci-
 nasset, ut libentius non vivere, quam semel præcepta
 sen-

sententia ac disciplina eorum, qui in errorem ipsos induxere, cedere velint.

Sunt verò & tremenda salutis mysteria alia, in quorum explicatione non omnino conveniunt Theologi, concordes tamen in cæteris, & vinculum unionis constanter servantes: Non memorabo illa dissensus momenta, quæ in fundo tantum in terminos aut scholasticam subtilitatem desinunt, quemadmodum fit interdum in doctrina de Deo Trinuno, de Christo, quæ summa capita ad genium simplicitatis piscatoriæ curatius tractari debent: sed ex illis potius exemplum producere fas erit, quæ rem ipsam magis spectant: quale est istud *de omnipresentia Christi & statu exinanitionis dissidium*: non equidem res videbatur exigui ponderis, quippe gravissima implicantur doctrinæ capita: admiranda illa in Christo unio personalis & quæ eam sequitur priorum communicatio: ipsum Christi meritum & satisfactio, nam si status, quo se humiliasse dicitur Christus, & obediens factus Patri ad mortem usque crucis, non ita explicetur, ut *ἰσορρόπιον* istud pretium & satisfactio firma stet & inconcussa, actum est de Salute nostra, quæ huic Doctrinæ tanquam præcipuo fundamento innititur. Rursus: nisi Doctrina de omnipresentia Carnis Christi & Statu Exinanitionis ita explicetur, ut mysterium illud magnum pietatis de unione personali & communicatione Idiomatum integrum maneat; destituemur Mediatore, qui sine illa unione personali, Naturarum & priorum communicatione esse non potest. Considerantur ex utraque parte, tum communioris sententiæ, cui ad stipulor, tum alterius, dicta Scripturæ Sacrae, ut patet, & de illius sensu, & gravissimorum Articulorum inte-

gritate Theologos sollicitos esse. Deinde uterque dissidentium Fundamentum retinent doctrinæ de satisfactione, unione personali & communicatione idiomatum, quam vocant Theologi, eamque adversus Jesuitas & Reformatos unanimi consensu tuentur. *Tertio* nemo dubitat: Christum Dominum & Regem cœli & terræ, postquam ad dextram Dei evect⁹ est, etiam quoad carnem, omnipræsenti & omnipotenti ratione gubernare omnia; unde *quartò* quæstio restat de eo, quod pridem fuit ac præteriit, quomodo se habuerit: status nimirum Exinanitionis & omnipræsentiæ tum temporis? non, quod propterea præcisè exigui momenti sit: sed quod retento in memoratis antea punctis unanimi consensu, tanti non sit æstimanda quæstio, ut Fidei & Disciplinæ communio propterea rumpi debat: id quod præter Electorales olim in *Pupillæ Saxon. Apol.* etiam alii Theologi pii pacemque amantes sentiunt, qui dissentientes facile tolerant. Quanquam autem olim quælibet dissentientium pars graves alteri errores per consequentiam imputaverit, pro viribus tamen utraque eas declinavit, & eo ipso testata est: se nequaquam imputatis ad stipulari; unde parum æquitatis vel charitatis habere potest, si quis dissensum hunc in speciem schismatis aut implacabilis odii fundatum expolire audet: id tamen etiam observant consequias & nexus non posse non obscuros interdum & ancipites esse: nam, dum ponitur mysterium in his, ex quo, & circa quod deinceps consequiæ instituuntur, non tota simul indoles & natura mysterii concipi potest & introspici: cum tamen subinde ex hypothesi penitioris cognitioris & plenioris instituantur nexus, & non ex eo solo quod revelatum est: unde obscuri-

scuritas Doctrinæ Sacrae cultoribus se oggerit, ut se expedire nequeant: dum nexuum spectra vident, haud attendentes originem, num ritè ex eo quod revelatum est, sint instituti? num verò ex hypothesi plenè & consummatè cogniti mysterii.

Succedat aliud exemplum de unione illa mystica Dei cum Fidelibus, quam Scriptura sacra Nobis per similia declarat, dicitur ad pios venire Deus, *in illis habitare*, *illi vicissim ejus templa*, item Deo agglutinati, unus cum ipso Spiritus &c. certum est, hanc mysticam unionem, diversam planè esse tum ab illa, quæ in personis divinis est unio vel potius unitas, tum ab ea, quæ in Christo est naturarum, tum denique ab ista, quæ in Cœna Domini est inter panem & corpus, vinum & sanguinem Christi. Neque dubium, re ipsa & quoad substantiam, adeoque non mera gratia & opere, piis intimè præsentem esse, ipsisque unitum: at quando cœptum est disputare occasione modorum loquendi & phrasium, queis Deus venire dicitur, ad fideles, & similium: an propior illis sit substantiâ quam impiis? Dissensum inde ortum esse non mirum, facile enim fieri poterat, ut, dum ab una parte formulæ istæ phrasesque, quibus venire ad pios & intime ipsis conjunctus dicitur Deus, rigorosius premerentur, in mentem veniret, propior Substantialis propinquitatis gradus ad pios, quam impios. Ab altera verò Parte observatum fuit, in ejusmodi phrasibus & loquendi modis, ubi mysteria per modum à rebus humanis desumptum enunciantur, non tam verba morosius premenda esse, quam naturam & conditionem divinæ Majestatis ponderandam, alibi in Scriptura Sacra expressam, & lumine Naturæ quoque suo modo

modo dignoscendam: ut divina *κατὰ πρέπον θεῖον* explicentur; quomodo propior gradus dictæ modò propinquitatis ne quidem concipi posse videatur, quin infinitæ ac perfectissimè præsenti Majestati derogetur: unde, si novus & propior ille gradus ultra gratiæ divinæ & benignorum operum manifestationem & accessum extendantur ob literæ vim; explicari tamen non posse aut dici: in quo illa major propinquitas subsistat, & Christiano Philosopho in id maximè respiciendum, ne infinitum divisione fiat finitum, immensum coerceatur certis terminis atque limitibus: quicquid dicas de novo modo vel gradu propiore, vel exemplis singularibus: sed nec ad usum Christianum decisio spectat, in eo enim positum est fidelium solatum, quod Deus ipsis prope sit, cum ipsis & in ipsis, non ad judicium & pœnas, sed gratiam & beneficia: ut foveat, conservet, ornnet ad veram & duratram felicitatem.

Atque hæc nos deducunt porrò ad uberiorem meditationem earum quæstionum, ubi disquiritur; *an Sententia Analogie Fidei aduersetur?* nam hæc una præcipuarum difficultatum causa & origo est, quod Analogia sive proportio illa Articulorum & Connexio inter se tenerrimo & secretissimo subinde vinculo & habitudine nitatur, cui proinde quid congruum sit, quid non, non semper in præsens se prodit, sed adcuratiore demum scrutamine patescit. In dissensu itaque de eo, quid sit Fidei analogum, quid non? æquus Judex omnia huc pertinentia, cum cura ac sollicitudine sibi ob oculos ponit: Analogiae Fidei naturam præcipue, quam B. Mylius nervosè descripsit Articulorum Religionis Consensum & Harmoniam.

niam. Deinde non id statim Analogiae huic repugnare censebit, quod ab unius vel alterius Theologi sententia remotum est. Ipsa propositio & habitudo sententiæ privatæ ad dogmata & Religionis capita consideranda: vindendum quid in recessu habeat, & virtute sua contineat opinio: distinguendæ tamen probè consequentiæ, queis aliquid Fidei analogum vel minus judicatur. Sunt enim nexus interdum dubii, obscuriores ac remotiores: eo minus proinde admittendi, quò periculosius est: Fratris dissensum Analogiae Fidei adversum declarare. Illud verò maximè observandum, ne analogiam Fidei cum instrumentis seu rationibus, quarum beneficio illa indagatur, confundamus: illa enim divina est, Scripturis ipsis contenta: rationes verò & media indagandi etiam aliunde petuntur: interdum enim ab ipsis Scriptoribus θεοπνεύσοις aliquid Analogiae istius clarius ostenditur, vid. illustre exemplum I. Cor. XV, 12. ubi Apostolus comparationem erroris, Resurrectionem negantis cum resurrectione Christi, & salute humana in universum instituit. Cæterum in subsidium Analogiae hujus dignoscendæ haud immeritò sumuntur libri symbolici, quos vocamus: non tamen æquus Judex id statim Analogiae Fidei adversari censebit, quod quacunque ratione à symbolis dissentit, substantia ipsa, Fidei doctrina hic attendi debet. Porò multa primo aspetto videntur conformia Fidei vel ab ipsa difformia, quæ verò temporis progressu & adcurata meditatione magis illucescunt, unde nequaquam committendum, ut quis præceps sit Judicio; tamen, qui manifestò proditi sunt errores, intempestivo silentio vel charitatis malè ordinatae proposito dimittere, vel se non legisse falsò testari,

ri, aut legere nolle demum turpe est, nec cum sinceritate Theologica stare potest. Id verò in quæstionibus noviter exortis, quæque graves sunt & difficiles, magnam postulat tolerantiam & misericordiam, si quid innocentis, industria adhibitâ, nihilominus excidat, quod cum Regula Fidei conciliari statim nequeat: at ubi quæstio jam satis est discussa, imò publica Authoritate Ecclesiæ è verbo Dei illustrata & decisa, non pari tolerantia tractari merentur dissentientes. Piis Ecclesiæ doctoribus multa exciderunt, tum in modis & phrasibus loquendi, tum in sententiis ipsis, quæ progressu temporis emendata sunt & dilucidata, at hodie prætextu Antiquitatis illa repetere & excussa stramenta orbi obtrudere velle, maligni animi character esset: quemadmodum ex adverso ingens ingratiitudinis macula iis accedit, qui pium eorum zelum vel sententias, quæ tolerari poterant, duris censuris orbi prostituere audent. Plures dissensus classes momenta & exempla colligi poterant: inque illis judicii æqui Specimen exhiberi, sed hæc, quæ dicta sunt, sufficere possunt, lucemque subinde præbere aliis. Hæc ipsa verò de æquo judicio, morali potius quam polemico instituto dicta sibi quoque æquum pollicentur judicium.



Eod. Diss. A 16. B. uise 4